

et auctoritatem super episcopos sumptos *collective*; et nullibi legimus, episcopis *collective* sumptis et a Papa sejunctis, Christum supremam contulisse potestatem. Atqui, si revera legitima esset praedicta distinctio, et tanta competeret episcopis *collective* sumptis et a Papa sejunctis auctoritas, cum id spectet ad fundamentalem Ecclesiae constitutionem, clare debuisset a Christo notificari et ab Apostolis transmitti; permaxime enim refert scire quodnam sit supremae potestatis subjectum in Ecclesia.

Dixi: *regulariter saltem*, quia utrum *extraordinarie aliquando* Papa concilio subjiciatur, perpendemus infra.

461. Dico 2^o: *Concilium vere oecumenicum, seu pronuntians cum Papa, non est supra Papam.*

Etenim, 1^o Papa, ex probatis, habet primatus principatum, potestatem summam ac supremam, et totam jurisdictionis plenitudinem super singulas et omnes ecclesias. Atqui haec omnia vera esse nequeunt, si aliqua detur in Ecclesia auctoritas auctoritati Papae superior.

2^o Praeterea, conc. Vatic., Sess. IV, cap. 3, de auctoritate Papae, sic pronuntiat: « erga quam, cujus-
« cumque ritus et dignitatis pastores atque fideles,
« tam seorsim singuli quam simul omnes, officio
« verae obedientiae obstringuntur. » Et paulo infra:
« Docemus... Sedis Apostolicae, cujus auctoritate ma-
« jor non est, judicium a nemine fore retractandum,
« neque cuique de ejus licere judicare judicio. Quare
« a recto veritatis tramite aberrant, qui affirmant
« licere a judiciis Romanorum Pontificum ad oecume-
« nicum concilium, tanquam ad auctoritatem R. Pon-

« tifici superiorem, appellare. » Ibi appellatio a Papa ad concilium generale non ideo reprobatur, quod ad causas ultimo judicandas Ecclesia dispersa sufficiat; sed expresse quia, per hanc appellationem, supponitur dari auctoritatem R. Pontifici superiorem.

3^o Praeterea, decreta dogmatica a solo R. Pontifice edita non possunt reformari etiam a concilio oecumenico, uti probatum est. In causis ergo fidei Papae auctoritas concilio praevalet; a fortiori igitur in causis disciplinae.

Hinc, quamvis Papa dogmaticis conciliorum oecumenicorum definitionibus, sicut et propriis, subjiciatur ob unitatem fidei, ad quam servandam jure divino et ipse tenetur; non tamen ligatur aliis decretis, nisi sicut superior propriis legibus, et ideo ab illis semper valide dispensat, etiam sine causa. Insuper ea, sive solus, sive cum concilio, potest mutare, reformare aut abrogare.

QUESTIO V^a

Quomodo auctoritas R. Pontificis supra concilium generale concilietur cum conciliorum Constantiensis et Basileensis decretis?

462. Resp. Haec quaestio ponitur ad specialius tractandum de praecipuo quo nitebatur sententia modo confutata fundamento, scilicet, de eo quod jure arbitrabantur sibi praestitum esse a conciliis Constantiensi ac Basileensi.

Conc. enim Constantiense, in Sess. IV, hoc ediderat Decretum: « Ipsa synodus in Spiritu sancto legi-
« time congregata, generale concilium faciens, Eccle-
« siam catholicam militantem repraesentans, potes-

« tatem a Christo immediate habet, cui quilibet
« cujuscumque status vel dignitatis, *etiam Papalis*,
« existat, obedire tenetur, in his quae pertinent ad
« fidem et extirpationem dicti schismatis, et reforma-
« tionem generalem Ecclesiae Dei in Capite et in
« membris. » In Sess. V, declaratum fuerat animad-
vertendum esse contra quemcumque, *etiam dignita-
tis Papalis*, qui « mandatis, statutis vel ordinationibus
« aut praeceptis hujus sacrae synodi, et cujuscumque
« alterius concilii generalis legitime congregati super
« praemissis, seu, ad ea pertinentibus, factis vel facien-
« dis non obedire contumaciter praesumpserit. » —
Unde patet synodum professam fuisse hanc doctrinam
duplici modo, scilicet, et per definitionem theoreti-
cam, et per decretum practicum. Porro, conc. Con-
stantiense habetur ut legitimum.

Concilium autem Basileense quinquies decreta prae-
fata Constantiensis confirmavit, contra Eugenium IV,
qui erat Papa certus.

Hoc est igitur fundamentum princeps sententiae
quae fuit confutata. Porro ad illius solutionem, suffi-
ciet manifesta facere vitia quae infirmant decreta
Synodi, et impediunt ne valeant tanquam decreta in-
fallibilia, ad quem effectum conducent propositiones
sequentes.

463. Dico 1° : *Decreta concilii Constantiensis
non sunt intelligenda de auctoritate concilii supra
Pontificem R. regulariter exercibili.*

Statuunt equidem unumquemque, etiam Papalis di-
gnitatis, teneri obedire huic concilio Constantiensi,
aut cuivis alio, in his quae pertinent ad fidem,
ad extirpationem schismatis et ad reformationem

Ecclesiae. Sed haec omnia optime restringi queunt
ad Papam *dubium*, et ad *speciales hujus temporis
circumstantias* ex schismate ortas. Cum enim Joannes
XXIII, papa dubius, tunc deponere Papatum recu-
saret et a concilio aufugisset, concilium existimavit
contra ipsum procedendum esse; et, ut efficacius pro-
cederet, ante omnia declaravit concilio competere
auctoritatem ad quoscumque, etiam dignitatis Papalis,
cogendos, in his, scilicet, quae pertinent ad fidem
et ad reformationem Ecclesiae in capite et in mem-
bris. 1° Ad fidem: Papa siquidem dubius depositionem
recusans, censebatur schismatis fautor; fautor autem
schismatis *tunc* traducebatur tanquam de haeresi
suspectus. 2° Ad reformationem Ecclesiae in capite et
in membris: per quam reformationem *tunc* intelli-
gebatur ea agendi ratio, quae judicaretur necessaria
pro extirpando schismate.

Si additum fuit insuper a concilio, parendum esse
cuicumque alteri concilio generali legitime congre-
gato, illud est intelligendum eo sensu quod soluto,
quacumque ex causa, concilio Constantiensi, ante-
quam finiretur schisma, parendum esset alteri quod
postea *super praemissis*, ut ait, seu, super idem ne-
gotium congregaretur.

464 Dico 2° : *Decreta concilii Constantiensis quae
objiciuntur non sunt edita in concilio oecumenico.*

Quamvis enim adversarii contendunt concilium
absque Papa celebratum esse supra Papam, saltem
fateri coguntur id non convenire nisi concilio omnes
mundi ecclesias repraesentanti. Atqui, in praefatis
sessionibus, non tantum Papa non praefuit, nec per
se, nec per legatos, sed defuit supradicta conditio;

non enim repraesentabatur nisi obedientia Joannis XXIII; convocati siquidem haud fuerant episcopi duarum aliarum obedientiarum, scilicet Benedicti XIII et Gregorii XII, quae tamen tunc reputabantur probabiles, et ideo non erant vere schismaticae, proindeque ad veram pertinebant Ecclesiam.

465. Dico 3^o : *Eadem decreta non sunt prolata conciliariter, seu, juxta formam in coetu deliberativo ecclesiastico requisitam.*

Patres enim ad suffragia ferenda distributi sunt in quatuor nationes, easque inaequales, nempe : Gallicam, Italicam, Germanicam et Anglicam, et quaelibet natio non habuit nisi unum suffragium : unde eadem fuit vis suffragii nationis Anglicae, quae ex paucissimis episcopis constabat, ac Italicae et Gallicae, quae ex plurimis. Nec satis : ad suffragationem admissi sunt indiscriminatim, et clerici, et laici etiam conjugati, et plebei, non obstantibus praelatorum oppositionibus.

466. Dico 4^o : *Eadem decreta carent Pontificia approbatione.*

Martinus enim V, Pontifex in ultimis sessionibus electus, duabus Constitutionibus, scilicet « *Inter cunctas* » et « *In eminenti* », 8 Cal. Martii 1418 editis, confirmavit damnationem a concilio latam contra errores Wiclefi, Joannis Huss et Hieronymi Pragensis; sed nullam edidit ad confirmanda praedicta decreta. In ultima sessione, scilicet XLV, ore tenus dumtaxat, declaravit se approbare concilii decreta *in materia fidei et conciliariter, sed non aliter nec alio modo.* At decreta allata, nec *conciliariter* prolata fuere, ut jam probatum est; nec sunt *in materia fidei* : dantur enim veluti Constitutiones synodales,

quibus peractis, concilium declarat se transire *ad materiam fidei.*

467. Dico 5^o : *Nulla decretis concilii Basileensis adversus Eugenium IV inest auctoritas.*

Quando enim edita sunt, concilium evidenter carebat oecumenicitate, cum constaret episcopis quinque aut sex, Abbatibus septem aut octo. Sed neque in his decretis a Papa confirmatum est; siquidem Eugenius IV, in bulla *Dudum*, exigit ut omnia ab illo concilio contra auctoritatem Pontificiam scripta et gesta, *omnino tollantur.*

QUAESTIO VI^a

Utrum in certis casibus Papa auctoritati concilii generalis, per exceptionem, subjiciatur?

468. Resp. Tres casus excogitari possunt, quos seorsim expendemus.

1^{us} casus est, si Papa pravis suis moribus fieret graviter et evidenter nocivus Ecclesiae.

In hoc casu, omnino tenendum est concilium non habere jurisdictionem supra Papam. Etenim prava vita ipso jure non aufert jurisdictionem; Papa ergo scandalosus retineret Papalem jurisdictionem. Papalis autem jurisdictio omni alteri tribunali de se est superior, et ideo necessarium esset probare Christum hanc, in praedicto casu, limitare voluisse, ut concilio generali submitteret. Atqui id probare impossibile videtur. Aliunde, praedictum remedium, neque necessarium est ut Ecclesia ab interitu vindicetur, ut patet; neque foret efficax, cum ejus legitimitas ab omnibus negatur. Imo fieret ipso malo pejus, utpote inducens

episcopus ad vitam R. Pontificis curiose examinandam.

2^{us} casus est, si Papa fieret notorie haereticus. Tunc multi asserunt concilium posse de hoc facto pronuntiare, et Papam semel convictum, vel a Christo ipso deponi, vel a concilio deponendum, aliumque ejus loco eligendum esse juxta formas consuetas. Sed, ut supra vidimus, neque id est certum, neque difficultate caret. Unde multi negant Papam fieri posse, etiam ut est persona privata, *formaliter* haereticum.

3^{us} casus est, si de legitima Papae electione dubitetur. Tunc, juxta omnes, episcopi jus et officium habent rem sedulo perpendendi, ut excutiat dubium, abstinendo interim ab omni actu qui vergeret in Papalis jurisdictionis detrimentum. At, dubio permanente, multi dicunt Ecclesiam in concilio congregatam posse sibi providere de Capite certo, et si opus sit, Papam dubium deponere.

Sed, nec illa sententia satis constat. Etenim, male argueretur *Papam dubium* esse *Papam nullum*, etiamsi de facto ejus electio legitima fuisset; secus concludendum esset, per totam durationem magni schismatis Occidentalis, Sedem Apostolicam vacasse, quod parum probabile videtur; et insuper, sequeretur Papam semel electum, nondum habere veram auctoritatem, priusquam ejus legitimitas jam in dubium vocari nequeat. Papa igitur semel legitime electus est verus Papa, quamvis dubius. Ergo potitur omnibus primatus sui praerogativis; et proinde a nemine pendet. Ergo ejus depositio foret nulla.

Neque obstat depositionis remedium esse Ecclesiae necessarium. Non repugnat enim dari in Ecclesia

quasdam angustias, quibus nullum humanum suppetit remedium, uti v. g. in primis persecutionibus. Remedium autem supernaturalis assistentiae nunquam deest, et hoc sufficit. Insuper, quia de legitimitate et validitate depositionis Papae dubii dubitatur, jam hoc remedium fit inefficax. Et hoc historia probatur: Ubi enim concilium Pisanum deponere tentaverit duos contententes, Gregorium XII et Benedictum XIII, talis depositio non habita est ut certo legitima, et electo Alexandro V, tres fuerunt Papae dubii, et malum ruit in pejus. At tunc restituta est Ecclesiae pax et unitas, postquam Gregorius XII Pontificatui libere renuntiaverit, et Joannes XXIII sententiae suae depositionis, antequam daretur, annuerit, illamque ante Martini V electionem confirmaverit. Solus Benedictus XIII in sua contumacia perseveravit; sed cum a tota generaliter Ecclesia fuisset derelictus ante Martini V electionem, eo ipso convictus est non esse verum Papam; quia Christus permittere nequit Ecclesiam a suo vero Capite separari. Ergo, de facto, magnum schisma Occidentis non per exercitium auctoritatis conciliaris supra Papas dubios exstinctum est.

QUAESTIO VII^a

Quae sit necessitas aut utilitas conciliorum oecumenicorum?

469. Resp. Dico 1^o: *Concilia oecumenica non sunt Ecclesiae absolute necessaria.*

Etenim, omnibus generalibus Ecclesiae necessitatibus sufficere possunt auctoritas R. Pontificis, nec non magisterium ac regimen pastorum in Ecclesia disper-

orum, et a Papa impulsum ac directionem accipientium. Et de facto, quot annis bono Ecclesiae provisum est sine conciliis oecumenicis!

470. Dico 2° : Concilia oecumenica utilissima esse possunt.

Constat 1° *auctoritate*, id est :

1° agendi ratione Apostolorum, qui quaestionem de Legalibus hoc modo tractandam et opportune solvendam judicaverunt.

2° experientia Ecclesiae, quae ad illud medium pluries et feliciter recursum habuit.

3° verbis Pauli III et Pii IX in Bullis quibus convocaverunt, prior conc. Trid., posterior Vaticanum.

Constat 2° *ratione*.

Considerando, videlicet : 1° inquisitiones fieri solitas in conciliis, 2° incrementum zeli in pastoribus, 3° incitamentum obedientiae in fidelibus.

1° Inquisitiones circa doctrinam in conciliis sedulius et profundius fiunt ; veritas in majori ponitur lumine, et omni argumentorum apparatu firmatur, ex quibus doctores catholici arma sumere valeant, in controversiis agitandis et confutandis erroribus. Item inquisitiones factae circa mores et disciplinam aperiunt abusus reformandos, variasque variorum locorum necessitates, quibus leges attemperari plurimum refert.

2° Pastores, ex praeconcepto in conciliis mentis fervore, et ex affectu quo tenentur erga leges ab ipsis latas, ardentius et sapientius illarum premunt executionem.

3° Demum, fideles hujusmodi coetuum splendore plurimum commoventur, et ad venerationem obedien-

tiamque decretis conciliaribus praestandas proniores se exhibent.

DISSERTATIO DECIMA

DE PRINCIPATU TEMPORALI ROMANI PONTIFICIS

471. Tria de hoc principatu investiganda sunt : 1° An repugnet ? 2° An sit legitimus ? 3° An sit bono Ecclesiae necessarius ?

QUAESTIO I^a

An repugnet R. Pontificem principatum temporalem habere ?

Resp. Affirmarunt Arnaldus Brescianus, Waldenses, Marsilius Patavinus, Wiclefus et Calvinus, contendendo auctoritatem Pontificiam cum regia esse insociabilem ; et recenter nonnulli Catholici, qui ausi sunt affirmare talem principatum non videri satis aptum felicitati temporali subditorum procurandae.

472. Sed contra dico : Nullatenus repugnat Papam habere principatum temporalem.

Prob. 1° *auctoritate*.

Errorem contrarium Wiclefi, prop. 10^a et 16^a damnavit conc. Constantiense. De caetero, auctoritates quibus, ex modo dicendis, adstruuntur legitimitas ac necessitas hujus principatus, clare ostendunt illum non repugnare. Denique, damnata est in Syllabo propositio sequens : « De temporalis regni cum spirituali